

III<sup>n</sup>  
1587







t.



II i  
1587

ORATIO POLITICA  
DISQUIRENS

AN

SYNCERUS LU-  
THERANUS CUM BONA  
Conscientia Liberos suos Scho-  
lis Jesuvviticis informandos  
committere possit?

IN

*Florentissimâ Academiâ Vittebergen-  
si liberalis Exercitiij gratiâ disposita*

A

JOHANNES MESLINGIO, Lenne-  
pa-W. VIII. Kalend. Augusti,  
M. T. S.

*Magnanimum quisquis Lutherum negligit ex lex,  
Et Jesuvviticis querit amatq; Scholas,  
Per Syrtes, per saxa, per antra, per arma, per ignes  
Tendit ad infernas non revocandus aquas.*

WITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS MATTHÆI.  
ANNO M. DC. XIX.





D. O. M. B. A.



Uod olim de Pro-

theo, Neptuni filio, fabulati sunt Poetae, Magnif. Dn. Rector, Viri Rev. Clarissimi, Consultissimi, Excellentissimi, Praeceptores, Mecoenates & Promotores aeternum suspiciendi, Colendi, Tuque Literatissimorum Studiosorum Corona Nobilissima, Auditores omnium ordinum Praestantissimi, Lectissimi, Quod, inquam, olim de Protheo suo, Neptuni filio, fabulati sunt Poetae, attoniti admirantes.

*Quod modò quem juvenem, modò quem videre Leonem;*

*Nunc Violentus Aper; nunc quem tetigisse timerent*

*Anguis erat, modò quem faciebant cornuataurum;*

Illud de Hispanico Protheo, Ignatio Lojolâ, primo, ut fertur, Jesuvvitarum non quidem Parente & Architecto. (Is enim P. Caraffa, postea, cum Pontifex factus,

Ovid. lib. 8.  
Metam.

Thuan. lib  
17. p. 367.



Paulo IV. indigitatus) sed Conservatore & Propugnato-  
tore non fabulamur, sed admiramur. Hunc enim  
Hispanum, qui primis annis fuit Cynædus ferox &  
effrenus, vix ex Ephebis egredientem, Dijs Homi-  
nibusque insultantem Thraſonem experta est Arx  
Pompeiopolitana, Ex cujus obsidione, cum ei dex-  
terum crus æneæ Bombardæ pilâ à Gallis emiſſâ  
frangeretur, mox, facie Leoninâ in Vulpinam trans-  
matatâ, se ad alias res Politicas idoneè peragendas  
ineptum Palladi mancipavit, vitamq; ingressus, (ut  
ajunt.) Spiritualem, seu solitariam, in quâ Lugenda-  
rum Papisticarum avidus, in tantum brevi profecit,  
ut ei Beatissima (absit Suitica) Virgo Maria, in ulnis  
portans puerum Jesum, apparuerit, seque incredi-  
bili benignitate spectandam aliquandiu præbuerit.  
Unde protinus tantâ sanctitate, tantâ devotione,  
tantaque rerum mundanarum abjectione imbutus,  
ut vitâ inchoatâ planè novâ novum jesuvvitarum  
ordinem, suggerente (si dijs placet) D. Mariâ, com-  
mentus, pueros in plateis convocaret & convocatos  
in doctrinâ Pontificiâ informaret, pietatem Angeli-  
cam simularet, & homines in universon omnes ad  
Pœnitentiam, non quidem illam Christi, sed Hypo-  
crisim Anti-Christi, invitaret: Et hac ratione ille,  
qui viribus Corporis destitutus, cum ad bellum ho-  
minibus amplius inferendum ineptus esset, sibi Pa-  
pæ armaturam elegit, & adscitis duobus Satanæ Ca-  
pitaneis, Mendacio scilicet & Impudentiâ, animi do-  
tes ad debellandum Cœlum cœlestiaque dogmata  
contulit, ad quod inauguratus & confirmatus legi-  
tur



tur à Paulo III, circa Annum Christi M D X L  
ita, ut

*Quem juvenem rabidum viderunt castra  
Leonem,*

*Protinus hunc Vulpem vasfrum taurumq; fe-  
rocem*

Ecclesia DEI magno, eheu, cum detrimento sit  
experta & indies adhuc experiatur.

Sed quid Lojoram! miremur potius pullos ejus  
Suitas, &

*Num procul à patrio stemmate poma*

Ceciderint, expendamus. Sanè hæ simiæ, Parentis sui  
mores probè edoctæ, à *ἄλλοις* Jesuivitæ doctrinâ  
quam Jesu semper contrariam profitentur, JESUVI-  
DÆ (Jesuvieder) vitâ, quam sectantur porcinam, SUI-  
TÆ; moribus, queis student impiis, JEBUSITÆ; Con-  
silijs, quæ indies cudunt & recudunt funesta, GESITÆ  
artem hanc veteratoriam, se in quasvis transmutan-  
di formas, ad unguem didicerunt. Nunc enim, (ut  
Author Abstrusiorum studiorum edisserit.) habitu  
militari per plateas & compita vagantur: nunc civi-  
lem induiti vestem, sese Lutheranos aut Calvinianos  
professi, communem de se famam explorant: Mox  
Doctoris habitu clari vultum resumentes Pontifici-  
um, Procerum & magnatum familias circumeunt  
sciscitantes, num vel viduam locupletem vel juve-  
nem ditem in nassam suam pellicere queant: Mox  
rursum hæc formâ abjectâ, Nobilem mentiti, Aulas  
Principum frequentant, Sinonem agunt, palpumq;  
Princi-

V. Non A-  
pril.

Carol. Mo-  
linæus.

Principibus ad blandiendum obtrudunt, quò tandem vel ad Archivorum secreta, vel Principum Consilia admittantur, & sic, pro re natà, in Ecclesia DEI, vel vulpem, eam prodendo; vel Leonem in eam aperto Marte, invocato (ut ajunt) brachio seculari, faviendo, pro suà libidine agere & Tyrannidi Antichristianæ exponere possint. Hæ pulchræ illæ Jesu vitarū, quas mentiuntur, formæ, hæ eximiæ illæ, quas induit, imagines, ita, ut eos Prophetico Spiritu prævidens D. Apostolus Paulus vivis depinxit coloribus, inquiens Ultimis hisce temporibus fore homines sui amantes, Avaros, Fastosos, Maledicos, Parentibus immorigeros, Ingratos, Impios, affectu Carentes, Fœdifragos, Calumniatores, Intemperantes, Inimicos, bonorum negligentes, Proditores, Voluptatem amantes, formam pietatis habentes, virtutem ejus abnegantes, in Familias subeuntes, & Mulierculas oneratas captivas ducentes. Quibus encomijs hinc nulli alij exornati videntur, quàm hæ ipsæ πολυμορφαι καὶ πολυμίταις Lojoliticae Locustæ. Et quidni Locustas! Cum ipsum Deum p. in Scripturis, p. in ipsâ Naturâ eos ita indigitantem sequar! Hi enim sunt verè illæ Locustæ, quas Propheta Amos efformari vidit, Locustæ Johanniticae de fumo exeuntes in terram & habentes potestatem Scorpionum. Quemadmodum Locustæ illæ, quæ Anno 1541. maximis quidem saltibus, sed tamen absq; alis primò prodierrunt, non longè autem post alis acquisitis tanto examine in multas Europæ Provincias avolarunt, ut etiam Solis splendorem inhibere viderentur; Sic & hæ

2. Tim. 3, 1.

Amos 7, 1.

Apoc. 9, 3.

Sleid. lib. 4.

p. 410.

hæ Locustæ Jesuvviticæ annis præcedentibus enixæ,  
numero denario huc illuc realis carentes circumsi-  
lierunt, donec tandem Romæ quatuor alis, jactanti-  
â, Sycophantiâ impudentiâ & Potentiâ, (hac tamen  
expressâ additâ conditione, ne 60. numerum exce-  
derent) fuerunt alatæ, confirmatæ. Queis acce-  
ptis, continuô in universum Christianorum orbem  
catervatim avolarunt, & ne ullus Christianismi lo-  
cus ab earum inundatione liberaretur, ad exemplar  
Apostolorum, scilicet, se ita diviserunt, ut Jacobo  
Leine in Italiâ relicto Brœtus in Galliam, Canisius  
in Germaniam, Araõzius in Hispaniam, Rodericus  
in Lusitaniam, Xaverius in Indiam, alij verò aliò able-  
gantur. Quò factò brevi tempore, annis non-  
dum 80. completis, totum fermè terrarum orbem  
occuparunt, Ecclesiam Christi vastarunt, & Solem  
Iustitiæ ita obscurarunt, ut Christianismus se tam  
subitò Jesuvviticum factum admiretur, Jesuvvitas  
detestetur, & rursus, quod faxit, evomere adni-  
tetur.

Inter alias a. quas *πολυμύθοι* hæ Locustæ  
sumpserunt formas, non ultimas tenent Plagiarij,  
qui ad mandatum sui Generalis Claudij Aquavivæ  
in hoc unicè incumbunt, ut multos rapiant bonæ  
spei Adolescentes, quos Romam aliove mittant, ut  
ibi in Regulis Jesuvvitarum instituti & in Pontificiâ  
Idolomaniâ satis edocti adversus Germanos prodi-  
re illisq; in Religionis negotio resistere possint. Ne-  
que frustra hæc cecidit alea. Dum enim in Acade-  
mijs & Scholis Professores agunt & juventutem gra-  
tis sa-

Meisn. p. 2  
Philosophi-  
æ Sob. p. 145

Thuan: lib  
17. p. 368

Hasenm  
3. p. 22.

tis satisq; fideliter in Diabolicis suis Stratagemati-  
bus informant, reperti hactenus multi fuere Paren-  
tes, qui iusto tenaciores, tenuis lucelli gratia, filios  
suos Jesuvvitis erudiendos commendarunt. Atqui  
utinam tantummodò olim; verùm cùm & hodie  
non pauci reperiantur, qui adhuc hoc ipso tempore  
quo idolomania, fraudes, nequitia & impostura E-  
savitica, per DEI gratiam, toti Orbi plus satis inno-  
tuerunt, filios suos magno cum Ecclesie & Reipub.  
detrimento ad eorum Scholas amandent, Ego, certâ  
occasione motus, Problema hoc: *An Orthodoxus Chri-  
stianus filios suos salvâ conscientia Esaviticis Præceptori-  
bus informandos commendare possit?* stylo rudi & elo-  
quio nudo disquiram, disquisitumq; politiori & li-  
matori vestro iudicio subijciam. Quod dum adni-  
tor, Te, Christe, ut linguam & mentem dirigas; Vos  
Auditores omnium ordinum Obs: Col: ut humani-  
tate & benevolentia vestra me in imis repentem sub-  
levetis, & si quid fortassis liberius pro veritate con-  
tra falsitatem dixero, non tam meæ voluntati, quàm  
rei redarguendæ iniquitati adscribatis, eâ, quâ par est,  
observantia & humanitate oro, rogo.

Par est, inquit Alexander Alexandria Episco-  
pus ut nos, qui Christiani sumus, omnes, qui contra  
Christum loquuntur animoq; ab eo sunt alienato,  
tanquam DEI hostes & animarum corruptores, de-  
vitemus. Quæ enim participatio justitiæ cum ini-  
quitate, quæ societas luci ad tenebras, Quæ conven-  
tio Christi ad Belial, aut quæ pars fidei cum infideli!  
Unde Hæreticos observare, eos vitare, ne quidem sa-  
lutare

Socrat Hist.  
Eccel. lib. 1.  
6. 3.

1. Cor. 6. 14

Rom: 16. 17

2. Tim. 3. 5.

Apocal. 8

4.

2. Ioh. 1. v. 10

lutare, sed prorsus ab eis exire passim in scripturis jubemur, Qui exitus quamvis præcipuè spiritualiter de fugiendò *ψευδολατρίας* & Religionis consensu intelligendus est, eum tamen & corporaliter de fuga cohabitationis ac amicitia temporalis (si modo fieri potest) explicandum esse, res ipsa per exempla testatur.

Abraham jubetur egredi de Chaldaea, in qua natus erat, eò, quod Incolæ ejus loci erant Idololatræ: Loth Sodomis exire cogitur, quia homines erant nefandi & pessimi: Gens Ebræa ex Ægypto in manu Mosis & Aaronis educitur, non solum propter intolerabilem corporum servitutem; sed multò magis propter animarum salutem, Quia vanis superstitionibus dediti erant Ægyptij, & non licebat ibi Israelitis Domino suo sacrificare. Exite ergo, exite, O Germani, de Babylone Anti-Christi, ne aliquid vel morum vel pœnarum ejus attrahatis. Idque non solum vitâ & moribus, sed viâ etiam & gressibus. Siquidem cum sanis illic moribus, cum conscientia integritate, cum mandatorum divinorum observatione vivere non licet. Quî autem ex eâ exire potestis, qui proprios vestros liberos Augiæ Babylonicæ consecratis? Redite à vijs devijs, & à Delubris Jesuvvitarum & affectu & effectu secedite, secedite à tabernaculis hominum impiorum & nolite tangere, quæ ad eos pertinent. Usque quò enim claudicatis in duas partes? Si Dominus DEUS, est sequimini eum; sin Papa & Suitæ, sequimini & illos. Nam qui non ore confitetur ad salutem, quomodo ille corde credet ad justitiam

Jos. 24, 3.

Ex. 8, 26.

Apoc. 18, 4.  
2. Cor. 6, 17

Num. 16,  
26.

1. Reg. 18,  
21.

Rom. 10, 10

B

stitiam

Luce. II, 23.

Aug. Tract.  
46. in Jo-  
hannem.

Matt. 18, 7

stitiam? Qui non cum Christo, anne is adversus eum? & qui non cum illo congregat, quid facit aliud, quàm quod, ipso attestante Domino, dispergat? Cùm autem tacitè dispergit, anne se vel invitum & quasi nescium (si modo non proposito malitioso) pijs alijs simulatorem prodit? Indè ergò malè lædit, undè malè facit, non unde benè dicit. Dicit autem benè orthodoxian ore quidem profitendo; facit malè, heterodoxian, dum filium suum ad eam imbibendam ablegat, & eo ipso, quantum in se est, ad posteritatem profeminat, approbando: dicit benè de ablegato suo filio optimè sperando, facit malè, proximū suum, vel totam sæpius Ecclesiam, offendendo, dum alios hoc suo exemplo ad idem peragendum invitat, firmos labefactat, infirmos confringit, contractos penitus comminuit & exterraneos exhilarat, exhilaratis mollem & levem suum circa tutandam Religionem Zelum exhibendum proponit. Væ autem illi, ait Salvator, qui scandalizaverit, unum de pusillis, qui credunt in me, expediret ei, ut suspensâ molâ Asinariâ de collo ejus demergeretur in profundum maris. Quanto magis ergo væ illi, qui non alienum, sed proprios suos liberos, non unum aliquem pusillum, sed totam orthodoxam Ecclesiam, non inscius, sed sciens & volens, buccellæ panis gratiâ, scandalizarit. Duplicis ille criminis, & orthodoxæ Religionis prostitutæ; & Patriæ curæ malè administratæ reus, duplici quoq; pœna dignus. *Orthodoxæ inquam Religionis prostitutæ.* Quia eam abjuratis hostibus deridendam præbuit, derisam blasphemandam exhibuit, blasphemamam vi ferroq; (ad quod tamen aliàs  
fat

fat proclives) persequendam prodidit: *Cura paterna  
male administrata.* Quia liberos suos, quos ad vitam  
æternam, Dei sui gloriam, Angelorum consortium  
& proximi salutem, in timore Domini, educare de-  
bebat, hos turpiter turpibus ad turpissima quæq; sce-  
lera, Dei ignominiam, Diaboli gloriam, Proximi  
perniciem tandemq; ad ipsam (ni convertantur) ge-  
hennam educandos & informandos tradit. Quis e-  
nim hâc in scholâ cum salute vivat, ubi non solum i-  
niqua licita, sed & ad impia, iniquissima dicenda, cre-  
denda, & pro justis laudabilibusq; recipienda omnes  
omnibus modis instigantur, adiguntur? Quis sanus,  
ubi omnes insaniunt, habitare cupiscit? aut quis un-  
quam cum claudis ambulavit, qui nō progressu tem-  
poris & ipse concludicare didicerit!

Ephes. 6, 4.

Magna, equidem fateor, in Jesuvvitarum vultu  
cum externâ serenitate conjuncta Religio, ita ut, si  
faciem videas, videatur esse quantivis pretij; si mo-  
res externos, jures vel totum virtutum heroicarum  
chorum in eorum pectore sedem fixisse; Verùm ex-  
pecta paulisper, nondum sat pernōsti, nec aurea sunt  
omnia, quæ splendent, sed & rosam ostentat Rubus,  
interim carpentem aculeis suis pungit: blandiun-  
tur quidem Sirenes, & conspecto homine lachry-  
matur Crocodylus, sed suos dilaniant & discerpunt  
hospites; Sic & Jesuvvitæ, quorum vitam interiorem  
si penitus introspexeris, Religionem profanam,  
vitam vanam moresque plus quam effœminatos  
( ut postea probabitur ) reipsâ experieris.

B 2

Num

Num autem ab eiusmodi Præceptoribus ad ingenu-  
 os ingenuè instituendos Adolescentes fructus ma-  
 nare queant maturi, cuiuslibet iudicandum relinquo;  
 ij interea, qui salutem suorum liberorum consultum vo-  
 lunt, filios ut ab Aris Scholisque Jesuivitarum revo-  
 cent, necesse. In eorum enim institutione hæc om-  
 nia insunt vitia: Idolomania, Magia, *ἀσοργεία*,  
 Cædes, Rapina, Lascivia, Detrectationes & Expila-  
 tiones, Quæ omnia si semel intromissa fuerint, ex  
 juvenili animo si quis eradicare studet, nihilo sanè  
 plus agit, quam si det operam, ut cum ratione insa-  
 niat. Quod autem Parens *ἐπιλήθεις* tunc animo tri-  
 sti volvit & profusis lachrymis lamentatur, cur an-  
 tea minutuli lucri gratiâ propriâ suâ ablegatione,  
 auxilio & consilio adjuvit? Quid nunc post factum,  
 ubi neque consilij locus, neque auxilij copia super-  
 est, restat amplius, quàm ut dignum inde luat suppli-  
 cium? Sanè si quis in medijs balneis absque sudore,  
 aut in Molendinis absque farris pulvere indies ver-  
 sari adniteretur, is meritò sapientum risu explode-  
 retur: Qui suâ virtute confisus se in medijs flam-  
 mis non posse cremari sperat, aut in medio non  
 posse mergi naufragio existimat, is non fidei, sed  
 perfidiæ, non confidentiæ, sed diffidentiæ (teste  
 Bernhardo) se statuit exemplum. Quid ergo is,  
 qui incautam juventutem inter nocturna diur-  
 naque, quibus à Suis sepitur, reticula incolu-  
 mem & inoffensam versari posse præsumit? Ut e-  
 nim taceam illorum in observandis & seducen-  
 dis juvenum animis *μυριοέχων* & industriam,  
 sic et-

Serm. 8. in  
 Vigil. in  
 Natal. Do-  
 mini.



ſic etiam plus quam Gnatonicas ſilebō ſimulationes,  
queis ad pompam & fraudem, ita, ut vel ipſum Ar-  
gum & Jovem fallant, compositis primò adventan-  
tes alloquuntur, blandè excipiunt, ad convivìa & col-  
loquia familiaria humaniter invitant, ut ſic progres-  
ſu temporis ingenium & Genium expiſcentur, quo  
cognito, vel facie Angelicâ & promiſſis ampliffimis  
ſenſim ad ſe ſuosq; pertrahunt, vel formâ mutatâ  
(prout ingenij jam cogniti fert natura) maledictis vi-  
rulentiffimis & ſarcaſmis impudentiffimis ſcripta B.  
Lutheri, quæ ipſis verè ſudes ſunt in oculis, tanquàm  
nocentiſſimi Hæreſiarchæ proſcindunt, falſè rident,  
& velut Canis arrodunt nequiter: In Luthero & Lu-  
theranis inſulſa ſunt omnia, impura ſunt omnia, hæ-  
retica ſunt omnia, quæ etiam peſte ſuâ ipſum aërem  
imbuere, herbas intoxicare & ipſa etiam viſa vel per-  
ſtringere vel penitus enecare poſſunt: Tacebo ſuſpi-  
ria, tacebo gemitus, quos vel ad nomen Luthera-  
norum auditum alto Spiritu ducunt, eorumq; ſalu-  
tem q. perditam deplorant & ardentibus (igne & fer-  
ro) votis exoptant: Tacebo Doctorum è contrario  
Pontificiorum plus quam Thraſonicas deprædicatio-  
nes, qui quoad vitam, ipſo Chriſto perfectiores; quo-  
ad Eruditionem, Platone doctiores; quoad Eloquen-  
tiam ipſo Tullio diſertiores; quoad diſputandi artem,  
ipſo Chryſippo acutiores & argutiores: quoad mores,  
ipſo Socrate juſtiores: Tacebo Librorum Orthodoxo-  
rum imò & ipſorum S. Bibliorum è manibus excuſſi-  
ones, aliorumq; adulterinorum ſuppoſitiones. Quo  
ſtratagemate illa, quæ Diſcipuli ex B. Lutheri Cate-



chismo, à suis Parentibus & Præceptoribus hauserunt, velut atramento superinducunt, suaq; venena sensim & paulatim teneris animis instillant: Tacebo *απεβησεας* observationes & diligentissimas inquisitiones, ne vel verbis vel scriptis cum alijs purioris Religionis hominibus converfentur: Tacebo attentatas progressu temporis ad confessionem Auricularem manductiones, ad S. Synaxin invitationes, ad frequentem Missæ auditum coactiones, Quibus omnibus cautè, callidè & nequiter per varios & tortuosos cuniculos hunc agunt cuniculum, ut Discipulos suos sibi quàm similes, id est, abjuratos Lutheranorum hostes & Apostatas perfidissimos efficiant. Hæc omnia, inquam, quæ apud simpliciores, astutiæ Jesuvviticæ ignaros, in suspicionem veritatis fors vocari possent, tacebo, tantum modò depravatam naturæ nostræ, quævis mala, instar aridissimæ terræ aquam sitientis, corruptionem, velut omnibus obviam & conspectam, examinandam dabo.

Omnes sanè homines simul ac in lucem editi ac suscepti sunt, in omni continuò pravitate & densissimâ errorū caligine cespitantes, palantur. Undè prona ex suâ pappoâ corruptione ad malū humana natura (quam difficilè autem, hui, propellitur plaustrum suapte naturā ad ruinam propendens) & semper

— *ad mores Natura recurret*

*damnatos fixa & mutari nescia*

præsertim, si prava accedat institutio. Corruptunt bonos mores, inquit Apostolus, Colloquia prava, quantò magis integra prava sodalicia, vel viva ipsorū Præceptorum exempla & quotidiana monita.

Facili

Hor. Satyr.

13.

1. Cor. 15, 33

Facilimè quidem largior, Deum omnipotenti suâ manu filium tuum ab omni fermento Esauvítico immunè conservare posse; Verùm ubi & unde VELLE divinum probabis? Ubi Diploma voluntatis divinæ assertorium? Custodiunt, fateor, Angeli Domini liberos fidelium, eosq; ab omni falsæ doctrinæ toxico tutos præservant, *sitamen & quatenus manent in vijs Domini*, à quibus semel digressi ane redire aut in perplexissimis deviarum Labyrinthis inoffenso pede prodambulare in ipsorum viribus? Et licet Deus nonnunquam pro immensâ suâ misericordiâ quosdam inter densissimos hæreseων vepres & spinas illæsos servet, tandemq; in Regiam *ὀρθοδοξίας* viam reducat; Attamen

— *Pauci quos æquus amavit*

*Jupiter, aut spontè redduxit ad æthera flexos*

Tu inter pravos servatorum dato *ἑναυτα*, Et ego bonorum in societate malorum dabo *χιλίαδα* si non *μυριάδας* aliquot, & tu nihilominus illorum paucitatem dubius inter spemq; metumq; hærens experiri, quàm horum multitudinem certus amplecti, & sic proprio magis, quàm alieno damno sapere mavis? Quæ hæc dementia? Anne satius esset id dare operam, qui isthunc dubij periculi & periculosi dubij gurgitem exsiccares, quàm in hoc incumbere, ut magis ebulliat? Quære, quæso, Experientiam, Consule Annales; ijs sanè plus satis edocti sumus, Suitas Discipulis fidei suæ commissis tot vijs (ut antea dictum) insidiari, tot modis abblandiri, tot arietibus incurfare, tot insultibus defatigare, ut ne millesimus quidè, etsi Jovis quadrigas adscenderit, hucusq; eorum retia & barathra incolumis effugerit. Et quid mirū, si imperitæ & incautæ nullisq; solidis Religionis

fundamentis imbutæ juventutí imponant hi versipelles? cum maturioris & confirmatoris judicij viris, ut & Illustribus Principibus & Magnatibus suâ è vocatione discedere, se regno abdicare, scepra seponere, ad Monasteria abire, cucillum & Biretum gestare, nudis pedibus mediâ hyeme, ipsis curru vectis, incedere suâ arte Synoniâ vel Lenoniâ persuadere videamus.

Tu rursus, sperandum, objectas, Quod si filius meus hisce paucis adnumeratus, in agnitâ veritate divinâ adjutus gratiâ, immotus persisteret? Quid tum? Ego contra: Quod si Filius tuus Deum deserens, iterum à DEO desertus, ab agnitâ veritate deflectat? quid tum? Annon & suam & tuam ipsius animam horrendis faucibus Moloch immolasti? Quod si filius tuus brevi in tantum proficiat, ut proprios suos parentes omnibus diris (nî secum doctrinam Esavviticam amplectantur) devoveat? Quid tum? Quod si à Præceptoribus suis aliò ad insulas (num Fortunatas, an infortunatas, nescio, quod Plagiarijs istis haud rarum) ablegetur? quid tum? Eheu fletus? Eheu lachrimæ? Quod si tantum intra pauculas septimanas vel Annos addiscat, ut proprios tuos ab Orthodoxis conscriptos libros te absente, Vulcano cremandos tradat, Templumq; adire coactus gossipio Aures Spiritui S. (horrendum dictu) ne syncerum DEI verbum audiat, occludat? Quid tum? Quod si Te, tuamq; integram Familiam, si non sæpè totas Civitates & Regiones, justo Dei judicio, à vero DEO ad Jesuvvitarum idoia convertat, & sic penitus cum æterno multarum Animarum exitio evertat? Quid tum? Quod si verò tandem tuo tuorumq; omniũ auxilio & consilio summo studio,

studio indefesso tantum efficias, ut filium tuum ab ingressâ errorum voragine eripias, quod tamen.

-----*multis contingit è millibus uni,*

quid tum, inquam, si juvenile illud pectus in præcipitio bicipiti constitutum, & quo se flectat, nescium, astutiis & instinctu Diaboli vel ad plenum desperationis barathrum præcipitetur, vel aliquandiu anceps, ut vix consilij vel rei quid superesse videatur, hæreat, quid tum? Quæ omnia institutioni Jesu vitæ inesse commoda plurimis, nostræ etiam memoriæ, exemplis (nisi exempla odiosa essent) comprobari & demonstrari possent. Et cur demonstrarem? Cum piorum Lutheranorum nullus hæctenus de eo dubitarit, aut, si dubitat, cur Religionē, moresq; Orthodoxorū divinâ gratiâ receptos, Jesu vitarūq; erroribus è diametro oppositos nō relinquit & ipsemet animo aperto à nobis ad castra Suitarum transit? Bella, me Hercule, filiorum ad Dominum educatio, & vigilantes pro liberorum salute Excubiæ! Quæ Parentes fugiunt & detestantur, gratias agentes DEO, quod ex illis liberati ac erepti sint, hæc proprijs suis Visceribus omni nutu ac conamine rursus iniiciunt; Religioni, quam Parentes ut impiam & in Christum Christi; pretiosissimum meritum varijs modis blasphemam damnant, & meritò abominantur, huic posteritatem suam sacram laborant! Ah DEUS parce huic insipienti populo, & oculos, ut, quo tandem ruat, videat, clementer aperi. Si nobiscum Dominus, ut certè, certè cum illis Belial; Sin Dominus cum illis, væ viro huic, qui Domino contradicit & non tam semetipsum, quàm Filium suum Domino consecra-

secrare anhelat. Ageſicles apud Plur. cuidam di-  
centi ſeſe mirari, quod cum eſſet diſcendi avido, non  
adjungeret ſibi Philophanem, Sophiſtam eo tem-  
pore Clariffimum, prudenter reſpondit, ſe eorū vel-  
le eſſe Diſcipulum, quorum ſimul ſit Filius, ſignifi-  
cans primum & præcipuum boni Præceptoris requi-  
ſitum eſſe, ut Diſcipulos ſibi commiſſos, inſtar Paren-  
tis, amore & favore amplectatur. Quo autem amore,  
quo favore erga Noſtros hi Geſitæ, qui ad eradican-  
dum Proteſtantes à Naturâ facti, primâ intentione  
inſtituti, ſingulari voto allegati, à Pontifice Bulla præ-  
grandi confirmati, effreni audacia & quidvis auden-  
ti facultate armati, & denique impunitate delictorū  
planè excæcati videntur, flagrent, quid moliantur,  
quid conentur, id patronus & Cardinalis eorum A-  
lexander Farnesius voto ſuo cum ad bellum Smalcal-  
dicum profecturus ſe tantam per Alemariam ſtra-  
gem daturum prædicaret, ut in Lutheranorum cruo-  
re Equus innatare poſſet, ſatis aperuit. Cui voto fa-  
ctio Pariſienſis Anno MDLXVIII ex aſſe reſpondet,  
ubi, teſte Thuano, tanta vehementia in Proteſtantes  
detonuerunt, ut unicum id agi apparuerit, non ut  
doctrina reiiceretur, ſed ut miſeri homines furori  
populi propediem maſtandi obijcerentur, plebi  
perſuadentes, pacem cum ſectarijs nec fieri debere,  
nec coire poſſe, fide ijs data neminem obligari, imò  
rem *piam ac ſalutarem eſſe* in homines impios (Lu-  
theranos intellige) violentas manus iniicere, Et  
Chriſtianos omnes adverſus peſtem iſtam eſſe ar-  
mandos. Modernos autem Geſitas, quoad animum  
hunc

Sleid. lib.  
17. p. 534.

Lib. 37. p.  
534.

hunc paternū, à Majoribus suis nondum degenerasse,  
partim tyrannici paucorum Annorum Conatus,  
quibus pios Lutheranos hinc inde è Civitatibus, bo-  
nis omnibꝯ exutis, excommunicando, persequendo  
& depellendo sese posteritati commendarunt; par-  
tim fraudulentæ & cruentæ illæ proditiones, vel no-  
bis tacentibus, attestantur, quibus Anno proximè e-  
lapso Potentissimos Venetos, florentissimos Belgas,  
Constantissimos ac Fortissimos syncerioris Religio-  
nis Athletas, Bohemos (quorum *περὶ μαχ* & Mu-  
rus Deus esto Zebaoth.) Et liberos Liberrimæ Retiæ  
incolas, & unà cum illis omnes purioris Orthodoxi-  
as Assertores Hispanicæ Tirannidi unicâ q. die tru-  
cidandos tradere laborarunt, & sic reapse primum  
nostrum, quod divinâ benedicente gratiâ celebravi-  
mus jubilæum, in Ejulæum, id quod ijs ipsis tandem  
eveniat, faxit Deus, post varias minas cōvertere fate-  
gerunt, nisi Deus ipse vanis eorum conatibus resti-  
tisset. Scilicet hic est ardens ille amor (ut ita loquar)  
Præceptoralis, quo, fatente Jacobo Crusio, in Reg.  
Expl. eorum proprium est irruere in eos, qui Papæ  
R. resistunt, illosque consilijs, Dictis & Scriptis, in-  
vocato etiam brachio seculari, hoc est, igne & fer-  
ro, tollere & abolere, sicuti Pontifex & vota con-  
tra Lutheranos suscepta id volunt & mandant.  
Hæc autem vota plus quam Domitiana & Diocle-  
tiana non tantum ad mandatum & exemplum  
Christi non fugere, sed spontè ac tacitè ijs con-  
sentire, proprios liberos præsentissimo, nî  
Vino fornicationis Babylonicæ inebrientur,

C 3

expo-

12. Jul.

Hasenm. p.  
12.

Mat. 10, 23.  
Joh. 8, 59.

exponere periculo, num Consultum, num Christia-  
num, num paternum? Illi nos detestantur, execran-  
tur, ita, ut citius Cygnum nigrum aut album mon-  
straveris Æthiopem, quam unicum dederis Jesuvvi-  
tam vel Lutherano verè faventem, vel Discipulos ad  
Lutheranorum Phrontisteria, studiorum gratià, ab-  
legantem: Nos autem contra illos amamus, hono-  
ramus, veneramur; aut si non: quomodo conscien-  
tiam nostram à turpissimâ notâ ingratitude erga  
Liberorum nostrorum informatores, quibus nun-  
quam par gratia referri potest, purgabimus? Illi ex-  
tremum nostrum nostrorumque interitum omni-  
bus moliuntur modis; Nos illorum nefarias motio-  
nes & molitiones sublevamus, adjuvamus: Illi san-  
guinem nostrum sitiunt; Nos eum sitientibus pro-  
pinamus: Illi æternum nostrorum exitium faucibus  
hiantibus anhelant; Nos viscera nostra anhelanti-  
bus immolamus: Illi regna bellis rumoribusque  
implicarunt omnia; Nos ijs facem ministramus &  
arma. Quid autem hoc aliud, quam classicum ca-  
nere & frigidam, ut dicitur, suffundere?

Judæi olim Idololatræ æneam extruxerunt  
Statuam in valle Tophet Filij Ennon, cui ignitæ &  
candescenti astantibus & cymbalis plaudentibus,  
ne videlicet parentes miserabilẽ cremandorũ Libero-  
rum vagitum audirent, Baalitis, proprios suos ob-  
tulerunt filios, rati, se jure & exoptatissimum Deo  
præstare sacrificium. Sed quid ad hoc Spiritus San-  
ctus? Filios suos, inquit, Dæmoni obtulerunt, non  
quod hi oblatis infantes ob hanc causam æt. perierint,  
sed

*Eurip.*

*Jer. 7, 31.*

*19, 5.*

*4. Reg. 16,*

*3. 21, 6.*



sed quod Deus abominandum isthoc parentum factum non aliter reputarit, ac si filios suos vivo Diabolo immolassent. Ideoque nunquid res parva est, pergit, fornicatio tua? Immolasti filios meos, traducens eos illis. Ecce dies venient, & non dicetur amplius Tophet & Vallis Filij Ennon, sed vallis interfectionis, & erit morticinium populi hujus in Cibos volucris coeli & bestiis terræ, & non erit, qui abigat. Hic hic est Vallis illa Tophet, Schola Jesu-vvitarum, in qua idolon illud abominandum, sese efferens super omne, quod vocatur Numen, P. R. colitur, Cui, & per quem patentibus & ringentibus inferni faucibus filios suos immolant, quotquot eos ad Vallem Lojolitarum instituendos transmittunt. Hi enim sunt illi Baalitici Lixæ tripudiantes & clagentes, ne vagitus lamentabiles immolatorum à dulcissimis Matribus inaudiantur.

Ignoscite, O Venerandi Patres, si durius dictum quid putatis, & quanto hæc filiorum vestrorum immolatio isto judaico sacrificio sit truculentior paterno affectu expendite: Illi filios suos offerebant Deo, ut putabant, idque sub specie pietatis maximæ; Vos vestros vestris abjuratis hostibus excarnificandos, idque absque ullo vel pietatis vel plausibilis rationis splendore, exhibetis: Illi tantum igni corpora cremanda absq; Animarum dispendio dederunt: Vos vestrorum animas, dum eas falsæ & venenatæ religionis toxico imbui curatis, gehennæ inextinguibili mancipatis: Illi suos idolo vivos; Vos vestros, beneficio Baalitarum, vivos mortuosq; vivo Moloch æt.

*Exech. 16,*  
*20.*

*Jer. 7, 32.*

*2. Thes. 2, 4.*

Vovetis, consecratis, & quantum in vobis est, damna-  
tis. Evigila tandem dormiens & altè sopita conscien-  
tia, & quàm graviter hi Parentes in Deum, in propriū  
sanguinem, in Ecclesiam Christi peccent, in aurem  
& animum instilla, ut auribus ad dulcisonem Jesu-  
vviticarum Sirenum cantum, & nil nisi fraudes offu-  
tiasq; clangentum cymbalorum Lojolicorum soni-  
tum obturatis justissimam iræ divinæ vindictam per-  
cipiant, lamentationes liberorum sua culpa damna-  
torum audiant, Et Ecclesiæ totius coram tribunali  
divino accusationes intelligentes præcaveant. Nam-  
que hi Parentes non tantum, suorum filiorum salu-  
tem turpissimè prostituunt, sed & totius Christianæ  
Reipublicæ foelicitatem labefactant, religionem im-  
minuunt, & pietatem & animorū Concordiam cum  
plurimarum animarum dispendio tollunt, ita, ut hæc  
fermè unica sit illa Orbita, & Rheda, qua Jesuvvitæ  
in patriam nostram iuvchūtur; hi Rhedarij. Quem-  
admodum enim Religionis puritas est omnis socie-  
tatis vinculum & justitiæ firmamentum, ita, ut Reli-  
gionis Anchorâ motâ & Navis, Reipublicæ simul tur-  
betur; Sic illi, qui non rectè suos instituti curant li-  
beros non solum liberis, sed & Reip. (teste Cicerone)  
faciunt injuriam. Quippe talis est futura Civitas, qua-  
lis est Adolescentum educatio, Quæ si πολυχηματα τοῖς  
καὶ πολυκεργίς cōmittatur Jesuvvitis, nihil aliud, quàm  
multorū malorū receptaculum & ingentē Trojanū  
*instar montis equum divinâ Palladis arte*  
*edificant* —————  
————— *penitusq; cavernas*  
*ingentes utrumq; armato milite complent*

Quo

Lips. de u-  
na Relig.

Natal. Co-  
mes.

Aeneid. 2.

Quo intra Ecclesiæ pomeria & Reipubl. mænia recepto unus ad clavū Reipubl. alter ad suggestum, tertius ad commune præsidiū noctu, hoc est, incauto & nihil tale quid animadvertente populo, adsciscitur, & sic uno & altero adscitis, continuo

*Caduntur vigiles portisq; patentibus omnes accipiunt socios atq; agmina conscia jungunt,*  
ita, ut aliquando, sed eheu, serò cum Ænea ingemiscere cogamur:

— *Ab fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens*

*Gloria Lutheri, fermè omnia Suetica Pallas*

*Transtulit: incenso Suitæ dominantur in orbe.*

Scilicet hi sunt illi Institutionis Jesuvviticæ fructus, hæc comoda, quæ qui in Civitatem Dei intromittenda suadet, illi tantummodo

*Una salus superest, nullam sperare salutem*

Vera ac solida solidæ Eruditionis institutio, A. Observandi, duobus innititur fulcris, *θεολογία* nimirū, quæ vera & sincera Religio, & *θεοσεβεία*, qua simplex pietas & incorrupti mores comprehenduntur, quæ utraq; si ab institutione Lojolitica lōgissimè abesse demonstravero, quid salutis ab ea sit sperandum facile videbitis.

Theologia, seu Vera Sinceraq; Religio est cordis & mentis in Dei verbo simplici fide acquiescens assensus: Veri Dei, Unius in Essenria, Trini in personis invocatio: Sacramentorum, ut ab ipso Christo paulo ante Agonem instituta, Administratio, rituūq; ut omnia ab Ecclesia *καὶ τὰ ἔν τε καὶ εὐχαριστίας* introducto-  
rū observatio, Quæ quomodo Discipulos suos doceat ex quibus fūdamētis probēt, quomodo *εἰκονολατρείαν*  
& eam

1. Cor. 14,

40.

v. Hold. in  
Dubiet: p.  
91.

& eam necessariò insequentem πολυθειαν introducant, quot modis Christum ejusq; perfectissimum & pretiosissimum, quo redempti sumus, meritum blasphemant, quam foedè sanctissimum Regenerationis Lavacrum suo Lixivio, piscium carniūve Brodio conspurcent, Cœnā Domini sacrilegè mutilent, Purgatorium accendant, merces indulgentiales vendant, & quī deniq; gesticulationes & ceremonias, ut numero plurimas, sic valore plus quam histrionicas introducant, de eo, inquam, nihil omninò dicam, sed dubitantes (quos tamen in hoc splendidissimo Auditorio nullos esse credo) ad Examen concilij Tridentini ab incomparabili ac ipsis Jesu vitis formidabili p. m. Chemnitio conscriptum, Novum Pelargi Jesu vitismum, Gisenij Papismum aliosq; Nostratum Libros remissos volo, paucula duntaxat dicturus de eorum θεοσεβεία, non quidem illā, quam particulares quidam privatim & particulatim excolunt, sed ea, quam in communi amplectuntur & divulgatis scriptis profitentur.

Mat. 22, 29

lib. 4 d.  
Inst. Sac. c.  
9. p. 482.

Vera & sincera θεοσεβεία consistit in mandatorum Divinorum observatione, ut DEUM creatorem nostrum supra omnia ex toto corde, ex totā animā, ex omnibus viribus, & Proximum nostrum sicut nosipos diligamus, in quibus duobus, teste Christo, consistunt Lex & Prophetæ. De priori, quoad Dilectionem DEI, scribit Toletus: Quantum ad intentionem Dilectionis non tenemur præcepto DEUM plus omnibus diligere. Hinc in Jesu vitismo quid vanā ἐθειλοδρησικεία frequentius quid impiā εἰκωνολα-

τρεία

*regia* usitatus? Hinc illæ variæ preclararum ad quos-  
 vis Defunctos directarum formulæ: Hinc Peregri-  
 nationes idololatricæ, hinc Magiæ præstigiôsæ: hinc  
 perjuria æquivoca & vitia alia perfidissima, quæ nisi  
 publicis scriptis juventutem docerent, meritò inta-  
 cta suisq; Authoribus (quos, velut Gemmula aurum,  
 exornant) propria relinquerem; verùm cum publicè  
 in lucè sint emissa, publicè etiã, quò caveantur, redar-  
 guenda. Quod si hæc se docere negaverint, Num &  
 Magian (ut reliqua taceã) se Callere, num Nigraman-  
 tiam se docere negabunt? Num Discipulos suos ad  
 loca subterranea deductos, terrificas induti larvas,  
 horrendo cum boatu explorare, animo pusilles, ceu  
 ad Magicarum Artium penetralia ineptos ab alijs Au-  
 dacioribus segregare, hosq; studijs, ut ajunt, serijs (in-  
 tellige Nigromanticas) imbuere sese negabunt? Ne-  
 gent, & Regia Praga, ubi Anno 1602 quinq; primari-  
 is Jesuvvitis sub larvis diabolicis juventuti obluden-  
 tibus se sextus, & is verus haud dubio, immiscuit Di-  
 abolus, qui unum ex quinq; istis personatis medium  
 complexus sic pressit, ut triduo post moreretur, eos  
 mendacij convincet. Sic celate, si viri estis, perjuria &  
 convincet vos Toletus, qui licere aliquando uti æqui-  
 vocatione, audientem decipere & secundum suam  
 mentem contra mentē judicis jurare, apertè tradit.  
 Hinc aurea illa, quam vestris præscripsistis jurandi re-  
 gula: Si crimen est occultum, non debes jurare, si co-  
 garis, debes uti æquivocatione, puta Nescio, scilicet,  
 ut dicam tibi, vel simile.

De posteriori, quoad Dilectionem Proximi, quid  
 sentiant praxis quotidiana attestatur. Amorem e-

D

nim

*Plura. v. ap  
 Lavat. de  
 spect. p. 1. c.  
 9. f. 42. stad  
 Jesuvv. Ab.  
 f. 12, 13.*

*lib. 4. c. 21.*

*p. 522.*

*V. G. d. Val.*

*disq. 3. q. 23*

*p. 1. & 2.*

*Hasenm: p.  
51, 100.*

*Tol: p. 538.*

*Bell: lib. 2. d*

*Mon. c. 36.*

*Bulla Pij. V*

*19. Aug.*

*Anno. 1599*

*Iohan. Ma*

*ria. d. Inst.*

*Reg. c. 6. &*

*7.*

*Guinard. in*

*orat. in Perl*

*Paris. rec.*

*Orat. Ant.*

*Arn. ap.*

*Iun. Tom.*

*2. Col. 1546*

nim Liberorum erga Parentes è mundo tollunt, e-  
umq; in insensatam brutamq; *ἀσέβειαν* convertunt,  
animos puerorum ita dementantes, ut si etiam Pa-  
rentes cū illis familiariter colloqui rogitent, illi per-  
versè renuant, rideant, eos probris excipiant, dete-  
stenturq; vultum eorum, ceu Satanæ aspectum, ut ex-  
emplum Landspergæ Anno D. 1582 sat comprobavit.  
Et quid mirum? cum filium posse Uxorem ducere &  
ad religionem transire invitis & reluctantis Paren-  
tibus, à Præceptoribus suis edoceantur. Idem etiam  
beneficium Magistratibus à Deo ordinatis præstant,  
subditos, à præstito fidelitatis juramento absolvunt,  
tributa denegant, imperia produnt, Vitamq; Regum  
& Principum quibusvis Cerdonibus & Nebulonibus  
liberè & impunè trucidandam exponunt, & sic ter-  
ram innocuo multorum magnatum sanguine com-  
plent. imò hanc rem libris agunt, in Scholis profiten-  
tur, in Methodum & Artem compingunt, in eam Di-  
scipulos suos meditationibus, consecrationibus, ex-  
ecrationibusq; inicianit & erudiunt, apertè docentes,  
non modò licere, sed & fas esse Principi necè inten-  
tare, modò Viri Eruditi & Graves (puta Gesitas) in  
consilium adhibeantur, parricidia laudant, Heroum  
esse facta clamitant, imò Animum tale facinus per-  
petrandi donum esse Spiritus S. blasphemant, & si si-  
carius in exequendo facinore occumbat, tunc gratā  
superis, gratam hominibus (Jesuviticis) cadere ho-  
stiam incautis persuadent, Negabitis pro more, scio,  
sed fronte præfrictā & nudo capite. Producam enim  
Castellos, Guignardos, Gueretos, Garnettos, Ravail-  
laccos

laccos & hujus farinae plures, ad quorum accusantes confessiones aliquando coram justo iudice æternis flammis, (nisi vos convertatis) obmutescetis. Et quid negabitis? cum aut omnis Jesuvvita Ravaillacus, aut omnis Ravaillacus Jesuvvita; Jesuvvita Ravailiaci anima, Ravaillacus Jesuvvitarum organum jam pridem audiit ab alijs, neq; hoc admirandū, cum

— à Gesis sint indita nomina vobis,  
*Quæ quia sacrilegi reges torquetis in omnes.*

*Inde sacrum nomen, sacrum sumpstis & omen.*

Si autem Parricidalis hæc secta Regibus, Proceribus & Magnatibus, quin sicas in eos stringat, non parcit, quid nos Plebei nobis de ijs polliceri possumus? Lincum illud, quod Stephanus Pascasius in senatu Parisiensi nobis promisit, videlicet novis hisce sectarijs (potius sicarijs) semel admissis totidem ali hostes intra regni viscera, inter quos, qui vitæ suæ securus, sane vix cavebit, cum etiam cavet ut vel maximè. Ab homicidijs truculentis ad scortationes descendunt foedissimas, quas pari dexteritate & vivâ voce & *Exemplis* Discipulis suis fideliter inculcant. *Vivâ Voce*, dum melius esse scortari & uri, quam post unam fornicationem, votum cœlibatus violando, ad nuptias transire scribit Bellarm: Dum, si non castè, ut saltem cautè vivant, in unum omnes consulunt:

*Exemplis*, dum non tantum interiori Libidine (quam peccatum esse negant) squalent & pallent sed etiam commixtione & concubitu illicito sanctam suam castitatem produnt, ita, ut si quis diligenti indagine in pudicitiam Jesuvvitarum inquirat, tot reperiat scortatores, tot Cynædos, tot Ganeones, tot

Tort. Tort:  
f. 418. 420.  
421. 424.

Orat. Pa-  
vent. Henr.  
Mag. ad cur  
Paris. p. 10.

Thua. lib.  
37. p. 372.

cont. 1. Cor.  
7. 9.

Lib. d. Mon.  
6. 54.

Concil. Tri.  
Ses. 5.

a  
Apol. 2. Bohem. p. 184.  
Man hat vber der Erden in Des M. Rector. Orat. zwey Hebammen Stuel vñ etliche Küsslein/dars auff die Kreissēdē damē nach erlangter Absolutiōn zu sitzen pflegen gefunden/so sein mit ihrem Voto castitatis vber ein Compt.

Werem. de. Eremb. lib. 2. Medit. d. Fœd. p. 133. In sum. Quast. 8. Art. 3.

Pedicones, tot Puerarios, tot Sodomitas & Ganymedes, votarios tamen ac cælibes omnes, ut etiam in ipsâ Româ, ubi Catholicæ sanctitatis sedes, novam Gomorrhâ exortam putet. Rursusne negant? Audiam & producam cœlibatum Landspergensium, virginitatem Spirensium, Leonhardi Cocci continentiam, Dolium illud Bavaricum, ex cuius fundo fracto, cum in Collegium invehetur, Lupam in plateas publicas prolapsam manifestum est: Vocabo testes murum & scellas, in quibus ille F. Hamerslebiensis ante Annū ē collo suspensus, cum fors infortunato sidere Lupam suam invisere vellet, à confratribus suis inveniebatur: Sistam iudices duas istas sellas in usum obstetricantium Matronarum fabricatas, quas in nuperâ inquisitione Pragæ in Oratorio R. P. Principalis invenerunt, & nil dubitabo, quin si mica saltem frontis restat, pisce magis muti obmutescant.

Nec adhuc nefandis hisce sceleribus exaturantur, sed à vitâ & famâ etiam ad bona nostra furtivo saltu transiliunt, quæ non tantum ipsi, Griphonis instar, sub Eleemosinarum specie, hætenus avidè ambierunt, omnia, quæ potuerunt, corraferunt, Corrasa rapuerunt, correpta abstulerunt, & ablata possederunt, ita, ut nunc ex emendicatis intra 80. ferme Annos, attestante Antonio Arnoldi, reditus Annales 10. Tonnarum auri colligant, sed & alijs impunè auferenda exposuerunt. Pauperes enim, ait Maldonatus, non faciunt furtum, cum pressi extremâ necessitate rem alienam capiunt. Quia res tamen propriè non aliena, sed communis vitæ periclitatis.

In summa, Jesu vitæ plerique (bonos, si qui sunt, nunquam & nullibi rosos volo) quantum ex historiarum monumentis colligere licet, sunt idololatrarum blas-

blas-



blasphemi, Magi perfidi, Ἀσσογῶι in humani, Regici-  
dæ truculenti, scortatores impudici, Lixæ inexplebi-  
les, pullati Latifiones, Simoniaci, Cupidi, Ambitio-  
si, Obtrectatores, vitæ propriæ negligentes, alienæ  
curiosi scrutatores, reprehensores, Ebrij Curculio-  
nes, Incontinentissimi Majales, Vaniloqui, Garruli,  
vitam omnem in piorum nece & detrectatione fa-  
mæ constituentes, ita, ut si omnia in universum vi-  
tia unico velis exprimere verbo, *Jesuvvitam* dicere  
possis.

Non equidem diffiteor & in nostris Ecclesijs haud  
raros, pro dolor, turpissimis vitijs insignitos repe-  
riri, sed ut hoc non diffiteor, ita quoq; ingenuè fa-  
teor, nostrorum hominum improbitatem quar-  
tumvis maximam, ne infimo quidem gradu (præfer-  
tim quoad personas delinquentes & delicta laudan-  
tes) æquiparari infinitis illis abominationibus sum-  
meque detestandis flagitijs, Sodomijs, incestibus &  
sceleribus, quæ seculis benè multis ab illo ipso ficti-  
tio Ecclesiæ Capite P. R. à Cardinalibus, & impura  
omnium scelerum Architectrice Esauvvitica socie-  
tate designata sunt, & quidem ab jis, qui fama & vir-  
tute informandæ juventuti prælucere debebant, a-  
pud quos omnia sic ad naturam suam redijisse viden-  
tur, ut citius Pardus maculas, vel Æthiops pellem sit  
mutaturus, quàm Thais Romana seu fex Svitica  
scortationis suæ omnisq; generis Conscelerationū  
pudenda vel abijciat, vel tantillum immutet.

Quid ergo pig studioso ibi religionis, addiscet ubi nō  
modò sanam doctrinam non recipiunt, sed & omni-  
bus conatibus infectantur? Quomodo ibi piè vivet,  
ubi Religio languet, idololatria viget, ubi falsa pro ve-

prava pro rectis, insana pro sanis, heterodoxa, pro  
Orthodoxis & sic fumus foedissimus pro luce puris-  
sima venditantur? Quomodo amabitur ibi, Ubi Pa-  
rentes ejus, odio plus quam vatiniano affliguntur?  
Sanè qui cum tantis tantorum scelerum polymita-  
rijs conflictatur, ita, ut animus ejus non moveatur  
tamen, hunc scias jam posse habere suæ vitæ modum;  
Sed, eheu, quam

*rara avis in terris nigroq; similima cygno?*

Literas, regeris, discet & linguas, quas hi venerandi  
Patres diligentissimè juventuti inculcant, & quidem  
*gratis*, absq; laborum remuneratione. Hæc, scili-  
cet, est esca, simul & Area, & Pantheron illud lethife-  
rum, quo incautæ illæ Aviculæ meretricio Aucupum  
horum cantu allectæ & exiguo paucorum Nummu-  
lorum lucro inescatæ capiuntur & captæ miserrimè  
trucidantur. Literas & Linguas docent, doceant;  
Verùm num hi soli? Num & in alijs Exclutissimis  
Scholis & Academijs æquè dextrè & fideliter eæ pro-  
ponuntur? Num tot præclari, quos hoc nostrum sæ-  
culum ad miraculum propè & totius Europæ orna-  
mentum eruditos fovit, viri ab hisce bipedum ne-  
quissimis Deceptoribus informati? num Linguas e-  
docti? Non reor. Et si, posito, hi soli fideliter Lin-  
guas docerent, utinam & linguas hæc soli callerent,  
sub quarum prætextu impurissimè juventutis Mo-  
res foedant, quarum gratiâ ingenia excolunt, & in-  
ternè Animos perdunt: Ah quàm præstaret Græcas  
aut Latinas Literas nunquam audisse, quàm tanto  
periculo didicisse. Quid enim homo, πανυλωτη,

si salu-

Marb. 8, 36.

si salutis suæ jacturam fecerit? Quàm verè de hisce Nazianzenus. Qui vel vitam, inquit, solùm rectè instituunt, aut Eloquentiæ tantummodò student, ita, ut alterum, (veram Religionem) amittant, nihil mihi à Monoculis distare videntur, quibus magnum est nocumentū, major verò turpitudò, quum quempiam inspiciunt, seu inspiciuntur; Quibus verò contingit, ut in utroque excellant, ij demum adsequuntur, ut perfecti evadant, & cum beatitudine futurà vivant. Proinde pecunià illa, quam Esauitici Institores cum maximo lucri emolumento in loco hìc negligendam esse ducunt, unà cum illorum Pareitum, qui eam ob causam filios suos jesuvvítico Moloch immolant, ingrata Avaritià maledicta esto, Quia cum jacturà veri Dei est conjuncta, de quâ judicium Stephani Pascasij P. Religionis Socij ad senatum Parisiensem hisce Evclionibus, Colophonis loco, in aurem dictum volo: Secta illa, ait, ambitiosa & fucata Religionis plena, damnata, & rejecta sub *gratuita* institutionis Puerorum specie grassatur, & inde Familias captatis Testamentis exhaurit, juventutem specio Religionis corrumpit, & fascinatis per superstitiones puerorum ingenijs jam nunc seditio- nes & defectiones in Regni perniciem aliquando erupturas molitur. Et paulò pòst, versà Oratione ad Sen. Vos, pergit, qui nunc jesuvvitas toleratis (qui nunc filios vestros ad Esau Scholas ablegatis) aliquando ipsi, sed serò, credulitatem vestram accusabitis, Cum Conniventià (Educatione) vestrà effectum videbitis, ut horum astu, dolis, superstitione, dissimulatione, præstigijs ac malis artibus publica tran-

In Orat. de  
Land. Bas.

Thuan. l. 37

1587  
tranquillitas non solum in hoc regno, sed & per uni-  
versum orbem, periclitetur.

Hisce itaque Auditores omni Observantiâ Vene-  
randi, officiosè Colendi, ingenio rudi & stylo nudo  
explicatis, vestrum erit judicare, num ille, qui se syn-  
cerum & purum Lutheranum profitetur, bonâ & illi-  
batâ conscientia filios suos Lojolitibus instituendos  
commendare possit? Vestrum, inquam, erit judica-  
re, Num hac institutione Deus offendatur, Ecclesiæ  
incommodetur, proximus infirmetur, tyrannis Põ-  
tificia corroboretur, & salo Instituendorû periclitetur  
Ego interim Regi, Propugnatori ac Defensori Ec-  
clesiæ nostræ, Jesu Christo immortales ago gratias,  
quod nos jam ante centum & plures annos operâ  
Theandri p. m. Lutheri ex inhumana Papæ Tyranni-  
de & plus quam Cimmerijs Jesuvviticarum nebula-  
rum tenebris eripuerit, quod ereptis sub Clementi  
Umbra & protectione Seren. ac Celsiss. Electora-  
lium Ducum Saxonix, Clivix & Montium &c. Do-  
minorum nostrorum Clementissimorum (quorum  
imperium Deus conservet & dilatet æt.) purioris su-  
verbi grata Halcyonia in hac Florētissima ac Celeber-  
rima Wittemberga concesserit, devotè ex animo ro-  
gans, ut turbatis ijs, qui Ecclesias & Respublicas tur-  
bant, & devastatâ spurcissimâ illâ Babylone nomen  
honoremq; suum florere, & salvificum Evan-  
gelium in omnibus terræ partibus latif-  
simè & gloriosissimè florere  
faciat.

A M E N.





Pom.

Πλ

1587 QK

ULB Halle  
004 756 002



3

1587







Paulo IV.  
 tore non  
 Hispanu  
 effrenus  
 nibusque  
 Pompeio  
 terem c  
 frangere  
 matata,  
 ineptum  
 ajunt.) S  
 rum Pap  
 ut ei Bea  
 portans p  
 bili beni  
 Unde pro  
 tantaque  
 ut vitâ ir  
 ordinem  
 mentus,  
 in doctri  
 cam simu  
 Pœniten  
 crisi An  
 qui virib  
 minibus  
 pæ arma  
 pitaneis,  
 tes ad de  
 contulit

opugna  
 nc enim  
 ferox &  
 s Homi  
 est Arx  
 n ei dex  
 s emissâ  
 m trans  
 ragendas  
 effus, (ut  
 ugenda  
 profecit,  
 in ulnis  
 incredi  
 abuerit.  
 otione,  
 mbutus,  
 vitarum  
 iâ, Com  
 nvocatos  
 r Angeli  
 omnes ad  
 ed Hypo  
 one ille,  
 llum ho  
 , sibi Pa  
 tanæ Ca  
 nimi do  
 dogmata  
 tus legi  
 tur

